Herrn Professor Schopen
empfiehlt sich
Hermann

RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXLVI

INDICIT.

G. Hermann

Praemissa est dissertatio de Prometheo Aeschyleo.

LIPSIAE

TYPIS GVIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

1846.

Aetas nostra, postquam et philosophos et theologos ad avia progressos vidit, fluctuantibus animis ita in diversum trahitur, ut alii omni religione animos exsolvere conentur, alii autem, sive illi ex animo, sive consultius rati, omnia ad religionem referant. In his etiam philologi quidam, similiter ut olim patres ecclesiae, apud veteres Graecorum poetas praesensionem quamdam sibi videntur Christianae religionis invenire. Nimirum veritas, cuius fons est in ratione, non fuit alia ante Christum quam nunc est: religio autem, quae quidem divina sit, non potest non consentire cum veritate. Quod si veteres illi de quibusdam rebus ita ut Christiani senserunt, senserunt illi quidem vera, sed non praesenserunt doctrinam Christianam. Quae qui permiscent non mirum est si denique adducuntur, ut paene Christianos sibi fingant eos qui multis ante Christum saeculis fuerunt. Id factum est nuper ab iis qui de fabula Promethei scripserunt. Ex quibus C. L. Schoemannus, vir eximiae eruditionis elegantissimique iudicii, quum in Aeschyli tragoedia Prometheum admirabilem esse invicti animi altitudine, Iovem autem non modo immemorem accepti beneficii, sed etiam saevum atque crudelem videret, molestissime tulit hos mores, quod neque religionis tanta perversitas esse potuerit, ut summus deorum improbus esse crederetur, neque Aeschyli, quem poesis sua reverentissimum dei ostenderet, temeritas tanta, ut religionem populi ludibrio haberet. Itaque ut pium poetam ab impietatis criminatione vindicaret, non solum de tragoedia illa accuratissime admirabilique cum apparatu doctrinae disseruit, sed etiam ipse composuit Prometheum solutum, non quo quasi restituere conaretur tragoediam, quam Aeschylus isto titulo cum Prometheo vincto coniunxisset, sed ut ostenderet, qua ille ratione conciliare inter se ea quibus pugnare secum visus esset potuerit. Sciebat autem, dixitque, dissensuros ab se esse et eos, qui veteres Graecos ut adversantes praeceptis Christianis contemnendos censerent, et illos, qui suis quibusdam opinionibus constricti aurem praebere nollent verioribus. Sunt hi sane vituperandi, si opiniones eorum falsae sunt:

quid autem, si verae? nam non magis liberum iudicium est animi novis placitis capti, quam tenentis ac defendentis vetera. Atque exstitit iudex nullius partis studiosus Iulius Caesar, qui in Diurnis antiquariis huius anni fasciculo IV. tam circumspecte considerateque adversus Schoemanni sententiam disputavit, ei ut ego quidem omnino assentiendum existimem. Sed quoniam illum summatim ista disserentem quaedam consulto praeterisse video, non inutile fuerit caussam illam denuo paucis cognoscere, ne immeritam laudem Aeschylo tribuentes eripiamus laudem meritam. Patet autem duo huius disputationis capita esse, unum, quo quaeratur rectene iudicatum sit de iis quae offensioni esse in Aeschyli tragoedia visa sint; alterum, quo consideretur, an soluti Promethei tale potuerit quale propositum est argumentum esse.

Ac verum quidem est quod p. 13. dicit Schoemannus, non debere tragoediam pugnare cum religione populari, nec quae sancta et venerabilia sint privare illa sanctitate atque in contemptum adducere: sed quod statim addit, non magis licere poetae tragico Iovem ut odio dignum tyrannum fingere quam statuario in templo signum Iovis forma satyri aut vultu malevoli daemonis ponere, nec recte et cupidius iudicatum videtur. Non enim comparari inter se ista possunt, quia nec ridiculi quidquam in Aeschylei Iovis persona, ut in satyro, nec tetri, ut in malevolo daemone, invenitur. Quod autem p. 14. ait, quidquid defendendo Aeschylo afferatur, non posse magnae temeritatis culpam ab eo averti, si in summo deorum exemplum proposuisset morum pravitatis, id documento est aliter eum de animo Iovis quam Aeschylum sentire, qui non putavit se aliquid de maiestate Iovis detrahere. Componere igitur hanc repugnantiam studet Schoemannus ita, ut videri quidem pravos esse Iovis mores, sed non esse doceat: at ne videri quidem pravos voluisse censendus est Aeschylus: non tulissent enim aequo animo spectatores, nescientes in ea demum quae secutura esset tragoedia Iovem qualis re vera esset appariturum. Ex quo apertum est Schoemannum hodiernas aut Christianas de bonitate et pravitate morum opiniones Aeschylo supposuisse. Quid vero eum adduxit ut id faceret? Potissime, ut videtur, nomen Iovis, cuius non distinxit duplicem usum. Significat enim nomen illud nunc unum ex diis, qui supremus habetur, nunc omnino divinam naturam, ut in Agamemnonis et Supplicum versibus, a quibus p. 21. profectus videtur Schoemannus. Ipsa id verba docent, *Ζεὺς ὅςτις πότ᾽ ἐστίν.* Illis in versibus Aeschylus, ut omnes antiqui, quum universe de deo loquuntur, summa id reverentia

facit; aeque ut Christiani perfectissimum et sanctissimum omnisque labis expers numen venerans. Valde ab eo deo diversus est is Iuppiter, quem unius ex diis personam sustinentem potentia quidem praevalidum, cetera autem homini similem iisdem quibus humanam naturam affectionibus animi obnoxium cogitabant. Hos non distinguens Schoemannus fieri non potuit quin pugnare secum Aeschylum crederet, qui quem alibi ut sapientissimum et iustissimum gubernatorem mundi praedicaret, in Prometheo ingratum, iniustum, saevum, crudelem fecisset. Itaque deum, qualem Christiani colimus, Aeschyli animo obversatum ratus, necessario in eam incidere opinionem debuit, ut ista, quae in Iove vituperanda putaret, re vera non vitia, sed furto Promethei provocatam iustam dei iram esse statueret, idque ostensum esse crederet ea tragoedia quae soluti Promethei nomen gerens illam quam integram habemus sequebatur. Eo factum est autem, ut etiam in Prometheum iniquus esset, quem pariter nostri aevi sensus Christianamque disciplinam adhibens eo vituperat, quod quas artes hominibus impertiverit, eae omnes non ad morum probitatem atque animi virtutem, sed ad vitae necessitates et commoditates spectent, ita ut homines ad solum utilitatis studium informaverit, eoque non de bonitate vitae cogitantes pellexerit ad vitium: in quo est p. 54. usque eo progressus, ut Prometheum vel diabolo aequipararet.

Τλῆμον Προμηθεῦ, τοῦ δίκην πάσχεις τάδε;

Aliter, non aequius tamen, falsa ratiocinatione Reisigii adductus, iudicavit Franciscus Ritterus, qui quum in vol. CIX. Annalium Vindobonensium suam de Schoemanni libro sententiam diceret, vanum meritorum suorum iactatorem esse putavit Prometheum.

Consideremus et Iovem et Prometheum non quales hodiernus quis theologus aut philosophus fingat, sed quales Aeschylus et ab antiquioribus poetis acceperat, et popularium suorum opinione ferri sciebat. Iuppiter ei ille est quem modo diximus, similis homini, ut omnes dii, in quibus tantum pars quaedam divinae naturae inest. Igitur quum Titanes inter se deliberarent utrum Saturnum an Iovem regnare oporteret, Prometheus effecit ut ereptum Saturno regnum traderetur Iovi: quo ille potitus, Titanibus in tartarum detrusis, munia singulis diis sua assignavit. Ei, quum deletis hominibus aliud novum genus creare vellet, Prometheus miseritus hominum obstitit, subductumque clam ignem cum mortalibus communicavit, quo compotitos artes docuit, quibus ab agresti feritate ad commodae et iucundae vitae cultum eveherentur. Quapropter iratus Iuppiter

eum in Scythiae deserto rupi affigi iussit. Quid in his est, quod aut morum pravitatem Iovis arguat, aut probitatem suspectam reddat Promethei? Ingratus, inquit, Iuppiter est erga Prometheum, per quem est regnum adeptus. Prometheo ita videri non est mirum. Num vero, si regnat per Prometheum Iuppiter, propterea ferat adversantem regnanti, nec puniat propter ignem clam surreptum datumque hominibus? Dominator mundi est Iuppiter, pro arbitrio suo cuncta regens, παρ' ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων, asper novitate imperii, ἅπας δὲ τραχὺς ὅστις ἂν νέον κρατῇ, eoque inexorabilis, ἀκίχητα γὰρ ἤθεα καὶ κέαρ ἀπαράμυθον ἔχει; ceterum nec fato maior nec futurorum omnium gnarus. Similia legimus in Eumenidibus v. 620.

τὰ δ' ἄλλ' ἄνω τε καὶ κάτω
στρέφων τίθησιν οὐδέν, ἀσμένῳ μένει.

Eiusmodi ingenium durum quidem est et violentum, sed nihil habet ignaviae, nihil quod indignum aut indecorum sit regi deorum. Severus est: severitas autem etsi non amatur, tamen per se ne odii quidem caussas habet. Cui traditum est rerum omnium arbitrium, iure suo postulat ut sibi obediatur; iure suo etiam non obedientem punit: quod si Prometheo crudelissimas imponere poenas videbitur, non obliviscendum est immortales esse et qui punit et qui punitur, ut poenis quoque non potuerit Prometheus qualibus inter mortales affici. Talis igitur quum sit Iuppiter, quid in eo est quod indignum tragoedia sit?

Quid vero Prometheus? Misericordia motus clam raptum ignem impertivit hominibus, artiumque scientia instructos omnibus vitae commoditatibus beavit. Quid iis traderet amplius? Morum virtutisque praecepta, inquit. Id vero si fecisset, mirati essent spectatores supervacanea et quae nemo exspectasset proferentem. Exemplis homines antiqui et monitis pro re ac tempore iactis ad virtutem instituebantur, non praecepta morum in doctrinae formam redacta ediscebant, aut si quid huiusmodi, id poetarum carminibus expositum memoriae mandabant. Ita domi doctus scire unusquisque putabatur quid fas et nefas, quid iustum et iniustum, quid aequum et iniquum, quid honestum et turpe, decorum et indecorum, bonum et malum esset, et recte quidem: est enim huius scientiae fons ratio, quae non aliunde accipitur, sed una cum homine nascitur, ut sine ea ne cogitari quidem homo possit. Non igitur diaboli instar Prometheus est, neque artibus quas tradidit hominibus ad pravitatem eos voluit pellicere, sed viam monstrare bene beateque vivendi, usum illarum

artium arbitrio cuiusque relinquens, quod denique illi quoque facere coguntur, qui vel maxime praeceptis inculcare virtutem student. Quin tantum abest ut impius dici possit qui ritus sacrorum quibus dii placarentur praeivit mortalibus, ut eos ea ipsa re de pietate erga deos admonuerit apertissime. At hoc quoque in Schoemanni Prometheo soluto v. 647. sqq. eo deflecti videmus, ut sacra quae Prometheus facere docuerit non pietatis et reverentiae testificationes, sed animorum in malis desperantium ultimum perfugium fuerint. Absit vero ut calumniis bonam caussam in malam vertamus et, quoniam Christiani sumus, diabolicam mentem tribuamus magnanimo adiutori generis humani, qui atrocissimas misericordiae poenas luens non frangi se patitur cruciatibus, sed indignabundus saevitiam accusat eius, a quo tantis est suppliciis affectus.

Veniat nunc in contemplationem Io, quam Aeschylus introduxit, quia et liberator Promethei Hercules ex eius posteris exstiturus esset, et alio exemplo saevitiam Iovis volebat declarare. Eam ab Iove amatam, ab Iunone autem in vaccam mutatam oculatoque custodi Argo traditam, quumque is interemptus esset, oestro percitam orbem terrarum peragrasse, donec in Aegypto gravida ab Iove facta humanam formam recuperasset, veteres fabulae memoraverant. His quoque rebus Schoemannus substituit quae antiquo poetae certo non in mentem venerunt. Nam quod fingit, Iovem, quem perfectissimum et sanctissimum Deum esse statuit, ut humanum genus ad similitudinem cum diis extolleret, ex mortalibus feminis filios in quibus humana natura cum divina coniuncta esset voluisse procreare, id neque auctore ullo testatum est, nec re comprobatum, sed si quis homo alios virtute multum antecelleret, is videbatur ab deo originem ducere, ut Tantalidae illi,

> *οἱ θεῶν ἀγχίσποροι,*
> *οἱ Ζηνὸς ἐγγύς, οἷς ἐν Ἰδαίῳ πάγῳ*
> *Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι,*
> *κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων.*

Affert quidem et Hesiodi in Scuto v. 29. et Diodori Siculi IV. 9. testimonia, qui Iovem non tam libidinis explendae caussa, quam ut Herculem procrearet, cum Alcmena congressum dixerint. Sane: et Diodorus quidem quod ex antiquissimis poetis refert, *καθόλου τὴν ὁμιλίαν ταύτην οὐκ ἐρωτικῆς ἐπιθυμίας ἕνεκα ποιήσασθαι, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων γυναικῶν, ἀλλὰ τὸ πλεῖον τῆς παιδοποιΐας χάριν*, aperte id ipsum est, quod ei Hesiodus suppeditaverat:

πατὴρ δ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
ἄλλην μῆτιν ὕφαινε μετὰ φρεσίν, ὄφρα θεοῖσιν
ἀνδράσι τ᾽ ἀλφηστῇσιν ἀρῆς ἀλκτῆρα φυτεύσαι.
ὦρτο δ᾽ ἀπ᾽ Οὐλύμποιο δόλον φρεσὶ βυσσοδομεύων,
ἱμείρων φιλότητος ἐϋζώνοιο γυναικός,
ἐννύχιος.

At numquid hic de genere humano ad deos evehendo, et non de gignendo deorum atque hominum propugnatore dictum est? Sed videamus qua via Schoemannus ad istam interpretationem pervenerit. Alcmena ei videtur volens sui copiam fecisse Iovi, Io autem, quod reluctata eius amori fuerit, poenas dedisse longis per orbem terrarum erroribus. Haec si in mente habuisset Aeschylus, certe id aliquo modo indicatum videremus. At non ab Iove punita est Io, qui eam amare non desiit, sed per Iunonis iram in ista mala incidit. Narrat enim se somnia, quae suaderent ut Iovis cupiditati satisfaceret, patri aperuisse, cui oracula consulenti responsum sit, ni filiam domo et patria expelleret, universum genus suum perditum iri; itaque expulsae terras pervagandi necessitatem per iram Iunonis esse impositam. In his nihil invenio, quod Schoemanni interpretationem tueatur. Nam in Epapho, quem Io ex Iove peperit, nihil profecto est, quod hominem diis similiorem prodat quam quivis alius homo est; qui autem multis post generationibus ex Epaphi posteris natus est Hercules, eius matrem, maritum suum Amphitruonem se amplecti ratam, captiosa fallacia Schoemannus volentem cum Iove concubuisse finxit. Virginem Alcmenam ex Iove concepisse solus prodidit, nescio quo casu, Ernestus de Lasaulx in eleganti de Prometheo dissertatione p. 6. Iam ergo non magis Alcmena quod Iovem admiserit laudari poterit, quam Io quod casta manere maluerit vituperari, totumque illud Iovi tributum consilium per filios ex mortalibus feminis genus humanum ad deorum similitudinem adducendi in sola unius Herculis creatione consumitur. Ergo suppositum est Aeschylo, de quo ille non cogitavit, et, si cogitasset, operam perdidisset non intellectus.

Perventum est ad alterum disputationis nostrae caput. Quaerendum est enim potueritne tali modo solvi e vinculis Prometheus, qualem Schoemannus composuit. Sumpserat Iovem non posse ingratum, iniustum, crudelem esse; eapropter in proxima tragoedia curandum fuisse ut iure se punitum confesso Prometheo ignosceretur, liberatusque vinculis in gratiam cum Iove rediret. Nam conciliationem gratiae debere et plenam et

veram esse, hoc est talem, quae ex agnitione veritatis et iustitiae prodeat, removeatque ipsam caussam, ex qua inimicitia fuerit exorta. Etenim si Iuppiter iram ponat ut malum quod ei fata minentur effugiat, finem quidem fieri rixae, non effici autem integrationem amicitiae, esseque in tali exitu indignam summo deorum ignaviam et ne Prometheo quidem decoram caussam liberationis. Acute sane haec disputata sunt: at enim quum suspensa sint ex commenticia illa perfectissima sanctitate Iovis, temeritate autem et perversitate Promethei, nec per se poterunt pro veris haberi, multo minus autem, si mores et ingenium quum aevi quo vixit Aeschylus, tum ipsius Aeschyli respicimus. Quem enim Schoemannus ingeniosissime sane et elegantissime composuit Prometheum solutum, is conciliat quidem planissime concordiam atque amicitiam inter Iovem et Prometheum, verum neque tragoedia est, quia metu et miseratione caret, neque antiquitatis colorem habet, quia tota fabula ad hodiernae est disciplinae mores conformata. Omnes enim quae in ea prodeunt personae, Titanes, Tellus, Hercules, Themis, non spirant solum illam communis caritatis plenam virtutem, quam Christiana doctrina praecipit, sed etiam sermonibus suis cohortantur ad eam sic ut Christiani oratores in ecclesiis. Id vero Aeschylum nec fecisse nec facere potuisse certissimum esse arbitror. Quantum differant discreta temporibus non videtur illustriore exemplo posse ostendi, quam comparatione Herculis et Christi. Uterque summi dei ex mortali femina filius, uterque salutifera vita inter diros cruciatus finita in coelum receptus, in utroque omnibus numeris absolutae virtutis exemplum propositum hominibus, in altero strenuitatis et severitatis in exercenda iustitia, in altero aequanimitatis et lenitatis in ferenda ignoscendaque iniuria; in altero fortitudinis et constantiae in arcendis propulsandisque malis, in altero diligentiae et perseverantiae in bene faciendo; in utroque infatigabilis pro hominibus labor, sed alterius in agendo, alterius in patiendo magis conspicuus. Quod si quis forte sit, qui Herculem de sola sibi clava et pelle leonina cognitum nefas putet cum Christo comparari, audiat quae quinto abhinc saeculo homo Christianus, Ioannes Diaconus, Hesiodi in Theogonia de Prometheo narrationem interpretans scripsit p. 477. (581) commemorata etiam Schoemanno p. 139. *οὐκ ἄτοπον δὲ εἴ τις ὀρθῶς ἐθέλει νοεῖν τὰ λεγόμενα, καὶ ἐς τὴν ἡμετέραν αὐλὴν παρεισάξαι τὸν μῦθον, καὶ ἐπὶ τοῦ προπάτορος ἐκλαβέσθαι τὸ νόημα εὐσεβῶς, ὡς ἠπάτησε μὲν τὸν δημιουργὸν ὁ πρωτόπλαστος, τὴν ἐντολὴν παραβάς, ἐξόριστος δὲ γέγονεν ἔκ τοτε τῆς Ἐδὲμ καὶ τοὺς δερματίνους ἀμφιέννυται χιτῶνας*

τὴν παχυτέραν ταύτην σάρκα, καὶ τὴν ἐπίπονον διαγωγὴν κληροῦται καὶ τὴν ἐς τὸ κλαυθμῶνος πέδον κατάκρισιν καὶ τὴν ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου βρῶσιν τοῦ ἄρτου καὶ τὰς παλαμναίας ἀρὰς καὶ τὸ δὴ τελευταῖον ἐπιτίμιον τὸν θάνατον, ἕως οὗ Ἡρακλῆς ἐλθὼν ὁ ἐμὸς Ἰησοῦς τῶν δεσμῶν ἠλευθέρωσεν.

Apparere puto quid intersit inter Christiana praecepta et eos sensus quibus antiqui illi ducebantur. Christiana enim doctrina tota ad diviniorem humanae naturae partem, quae est in ratione, pertinet: itaque reiectis cupiditatibus tantum quid per interpretem divinae mentis deo probetur quaerit. In antiquorum autem illorum virtute, quos quidam contemptim paganos vocant, illi quoque parti, qua ceteris animantibus similes sumus, ius suum est concessum: quare fluctuat cupiditatibus et modo huc modo illuc impellitur, ut, si vincat melior pars, tamen non pudeat alteri quoque aliquid indulsisse, fortesque illae animae non prae se ferre amorem omnium, sed amare amicum, inimicum odisse laudi sibi ducant. Plus satis, credo, pii sumus, si mittimus qui feras gentes in ultimis terrarum oris doctrina Christiana imbuant: quod etsi nullo iure facimus, (ipsi enim num ferremus, si ab Indis Brachmanae venirent suas nobis religiones obtrusuri?) tamen probabilem caussam praeteximus, si sine fraude et benevola mente fit, quia viventibus ea cura adhibetur et quos spes sit ad humaniores cultus adductum iri: at etiamne mortuos, et mortuos quidem aliquot ante Christum saeculis magnos paganos, quorum ingenia cum summa admiratione suspicimus, in sepulcris suis vexare, evocatosque inermes eorum manes violento baptismate Christianos facere oportet? Omittamus potius quod serum est, sequamurque exemplum T. Livii, qui sibi antiquas res tractanti animum fieri antiquum scripsit.

Iam si quaerimus Aeschylus quodnam soluto Prometheo argumentum fecerit, reliquiae illius fabulae haec pauca subministrant: venisse longo itinere Titanes in Caucasum ad visendum Prometheum; coram his illum cruciatus suos conquerentem exposuisse quae homines ab se beneficia acceperint; dein Herculi ad aurea Hesperidum mala misso iter descripsisse; Herculem invocato Apolline sagitta transfixisse exedentem iecur Promethei aquilam; soluto vinculis Prometheo iniunctum esse ut signum gestaret commeritae poenae. In his nihil de eo invenitur, quod maxime scire vellemus, quo modo factum sit, ut aut Prometheus animi obstinationem deponeret aut Iuppiter ad mitiorem sententiam adduceretur. Certe quae Hyginus in Poet. Astron. II. 15. p. 456. refert, non sunt ex Aeschyli fabula petita. Ea haec sunt: *quum Iuppiter Thetidis connubium pulcri-*

tudine corporis inductus peteret neque a timida virgine impetraret, neque ea re minus efficere cogitaret, illo tempore Parcae feruntur cecinisse fata quae perfici natura voluit rerum: dixerunt enim quicumque Thetidi fuisset maritus, eius filium patria fore laude clariorem: quod Prometheus non voluntate, sed necessitudine vigilans auditum Iovi nuntiavit: qui veritus ne id quod ipse Saturno patri fecisset in simili caussa pati regno privatus cogeretur, destitit Thetin velle ducere uxorem, et Prometheo pro beneficio meritam rettulit gratiam, eumque vinculis liberavit: neque id quod fuerat iuratus remisit, vacuum omni alligatione futurum, sed memoriae caussa ex utraque re, hoc est lapide et ferro digitum vincire sibi iussit: qua consuetudine homines usi, quo satisfacere Prometheo viderentur, annulos lapide ferro concluso habere coeperunt. Repugnat enim voluntaria periculosae uxoris nominatio non solum inexorabili animo Promethei, sed etiam ipsis eius in priore fabula verbis ubi, quum quaesivisset Io nullumne Iovi effugium fatalis sortis esset, v. 752. respondet,

οὐ δῆτα, πλὴν ἔγωγ᾽ ἂν ἐκ δεσμῶν λυθείς.

Neque isto solum versu, sed saepe et gravius etiam has minas eloquitur, ut v. 167—177. 186—192. 503—517. 887—920. 969—971. Quae dubitare non sinunt quin perseveraverit in proposito, nec prius quam soluta essent vincula indicaverit quae illa esset coniux, a cuius filio exutum iri oporteret potestate sua Iovem. Quod si Promethei invictum cor sibi constitit, necessario cedere debuit Iuppiter. Atque hoc quoque illis quae dixi locis tam aperte tamque gravibus verbis significatum est, ut quin factum sit dubitari nequeat. Quae igitur tanta necessitas coegit Iovem missa superbia se feroci submittere Promethei pertinaciae? Scite provisum est ut hoc quoque coniicere possimus. Nam si Prometheus simpliciter dixisset nasciturum Iovi ex uxore filium qui eum regno expelleret, contemnere eius minas poterat Iuppiter, si nullum iniret connubium. At certae tantum coniugis filium metui ab eo voluit, ut ex his versibus, 746—748, cognoscitur:

ΠΡ. γαμεῖ γάμον τοιοῦτον, ᾧ πότ᾽ ἀσχαλᾷ.
ΙΩ. θέορτον ἢ βρότειον; εἰ ῥητόν, φράσον.
ΠΡ. τί δ᾽ ὅντιν᾽; οὐ γὰρ ῥητὸν αὐδᾶσθαι τάδε.

Itaque quum ille amore ardens Thetin uxorem ducere cuperet, dubius haec an alia esset quam vitare deberet, opus habebat responso Promethei. Quod quum impetrare ab illo non posset, nisi eum prius vinculis solvisset,

curandum erat ut salva tamen maiestate se victum praeberet. Nam etsi Prometheus v. 188. dicit,

ἀλλ' ἔμπας μαλακογνώμων
ἔσται πόθ', ὅταν ταύτῃ ῥαισθῇ,
τὴν δ' ἀτέραμνον στορέσας ὀργὴν
εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητα
σπεύδων σπεύδοντί ποθ' ἥξει,

et v. 887.

ἦ μὴν ἔτι Ζεὺς, καίπερ αὐθάδης φρενῶν,
ἔσται ταπεινός,

tamen regem deorum non decebat suppliciter demisseque orare. Ei rei duobus modis cautum erat, uno, quod Iuppiter sine dubio, ut in Prometheo vincto, non ipse, sed per Mercurium res suas gerebat: quo spectant haec verba Mercurii v. 930.

μηδέ μοι διπλᾶς
ὁδοὺς, Προμηθεῦ, προςβάλῃς·

altero, quod non gratuito liberavit Prometheum, sed dato sibi piamenti loco Chirone, qui illius solutionem immortalitatis suae iactura redimeret. Hoc quoque indicatum est a Mercurio v. 1006.

τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προςδόκα,
πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων
φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν
Ἅιδην κνεφαῖά τ' ἀμφὶ ταρτάρου βάθη.

Quo modo haec acta sint latet nos, nisi quod vix dubitandum videtur quin Chironi quaedam partes datae fuerint. At is saucius iacebat in antro Peliaco, ut Apollodorus refert II. 5, 4, 6. *ἀνίατον ἔχων τὸ ἕλκος εἰς τὸ σπηλαῖον ἀπαλλάσσεται, κἀκεῖ τελευτῆσαι βουλόμενος καὶ μὴ δυνάμενος, ἐπείπερ ἀθάνατος ἦν, ἀντιδόντος Προμηθέως τὸν ἀντ' αὐτοῦ τεθνηξόμενον ἀθάνατον, οὕτως ἀπέθανε.* Sic postrema verba emendavit Welckerus in Trilogia p. 48. Non pugnat cum his, quod §. 12. Hercules mortem Chironis obtulisse Iovi dicitur, siquidem id mandatu Promethei fecit: *καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε, δεσμὸν ἑλόμενον τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διῒ Χείρωνα θνήσκειν ἀθάνατον ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα.* Nec puto, ut Schoemannus p. 148. mori debuisse Prometheum his verbis significari, sed mortem Chironis mercedem fuisse solutionis e vinculis. Si tentanda coniectura est, quo modo rebus illis usus videatur Aeschylus, habemus quidem, quibus ex lege ab Heerenio patefacta praeter Prometheum opus

est tribus personis, Herculem, Iovis vicarium Mercurium, Chironem, sed hunc procul a Caucaso in antro montis Pelii iacentem, ut aut transferendus in Caucasum fuisse, aut pars tragoediae in Thessalia agi debere videatur. Utrumvis ita debuit comparatum esse, ut numquam tertio interlocutore opus esset, quoniam haec trilogia duo tantum histriones habebat. Haud facile tamen credam aut unum in media tragoedia actum aut totam alteram partem tragoediae in Pelio monte agi, quia, ut alia incommoda praeteream, chorus Titanum nec transferri illuc neque commutari cum alio choro potuit: qui enim potius quam Titanes liberationem cognati sui celebrent? Quare veri similius est, ut Iuppiter Chironem immortalitatis pertaesum, quum de eo inter Prometheum et Herculem sermo fuisset, aliquo mirabili modo ad Caucasiam rupem transportandum curaverit. Ita nec loci mutatione nec temporis intercapedine opus erat ad peragendam tragoediam.

Ex his si summam colligimus, sic statuendum videtur, voluisse Aeschylum in Prometheo exemplum proponere magni animi, qui recte facti sibi conscius ne atrocissimo quidem supplicio se vinci pateretur, sed fortiter cruciatus illos perferret, donec necessitate coactus ei Iuppiter poenas remisisset, qui ne prorsus impunitam esse sineret ferocem eius et superbiae plenam pertinaciam, quam et chorus et Oceanus et Io, maxime autem Mercurius reprehenderant, hoc ei imposuerit, ut posthac conspiceretur

extenuata gerens veteris vestigia poenae,
quam quondam silici restrictus membra catena
persolvit pendens e verticibus praeruptis.

Fuit id signum annulus lapide incluso, ut supra ex Hygino relatum est, aliique scriptores Munckero ad fab. 144. memorati testantur. Esse id autem etiam in Aeschyli tragoedia narratum fidem facit Athenaeus XV. p. 672. E. de Caribus oraculum consulentibus scribens: *θεσπίσαι τὸν Ἀπόλλωνα ποινὴν αὐτοὺς ἀποδοῦναι τῷ θεῷ δι᾽ ἑαυτῶν ἑκούσιον καὶ χωρὶς δυςχεροῦς συμφορᾶς, ἣν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀφώρισεν ὁ Ζεὺς τῷ Προμηθεῖ χάριν τῆς κλοπῆς τοῦ πυρός, λύσας αὐτὸν ἐκ τῶν χαλεπωτάτων δεσμῶν, καὶ τίσιν ἑκούσιον ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην δοῦναι θελήσαντος, ταύτην ἔχειν ἐπιτάξαι τὸν καθηγούμενον τῶν θεῶν. ὅθεν ἀπ᾽ ἐκείνου τὸν δεδηλωμένον στέφανον τῷ Προμηθεῖ περιγενέσθαι καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ τοῖς εὐεργετηθεῖσιν ἀνθρώποις ὑπ᾽ αὐτοῦ κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς δωρεάν.* Nam Aeschylo haec tractata esse apparet ex iis quae idem scriptor p. 674. D. refert;

Αἰσχύλος δ' ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησὶν ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ, ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ, καίτοι ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ εἰπών,

τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανος, ἀρχαῖον στέφος,
δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

Scilicet annuli imitatio est corona. Hinc Hyginus illis quae supra posuimus addit p. 457. *nonnulli etiam coronam habuisse dixerunt, ut se victorem impune peccasse diceret: itaque homines in maxima laetitia victoriisque coronas habere instituerunt: id in exercitationibus et conviviis perspicere licet.* Ita debitus Prometheo honos habitus, quod et ipsum indicatum videtur his chori verbis v. 500.

ὡς ἐγὼ
εὔελπίς εἰμι τῶνδέ σ' ἐκ δεσμῶν ἔτι
λυθέντα μηδὲν μεῖον ἰσχύσειν Διός.

Ac profecto Aeschylus suum ipse opus destruxisset, si fecisset magnanimum Titanem, cuius fortitudinem triginta milia annorum frangere non potuissent, postremo se turpi ignavia contemnendum praebere.

Postquam et de Prometheo vincto et de soluto dixi, non abs re videtur esse, ut etiam de ignifero pauca adiiciam. Communis opinio est, de cuius veritate non videtur dubitandum esse, trilogiam fuisse, quae omnem de Promethei rebus fabulam complexa fuerit ignifero Prometheo et vincto et soluto. Sed quum de ignifero, ex quo praeter quoddam obscurum vocabulum hic unus versus servatus est,

σιγῶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγων τὰ καίρια,

nihil memoriae proditum sit, quam quod scholiastes ad vincti v. 94. tradidit: ἐν τῷ πυρφόρῳ τρεῖς μυριάδας φησὶ δεδέσθαι αὐτόν, vacuum campum habuerunt coniectores, quem commentis quum aliunde tum ex ea quam habemus tragoedia conquisitis implerent, neque Oceanides neque Cabiros neque Cyclopes adspernati: qui lusus quam vani sint ostendit Schoemannus p. 72. seqq. Illud quidem recte iudicarunt, non negligendum esse, si quid indicii ex vincto Prometheo peti posset, modo ne ea fere arripuissent, quae vel nullam ad probandum vim habent, vel aperte non erant adhibenda, ut Oceanidum in nuptiis Promethei cantus, cuius ne mentionem quidem facerem, nisi monendum putarem, Hesionam, quae v. 539. uxor Promethei dicitur, neque Oceani filiam Aeschylo esse: alioqui posuisset ἐμὰν ὁμοπάτριον; neque nomen habere a navibus: obstat enim contra legem inserta littera. Pauca habemus similiter composita

nomina: ἡσιεπής, de quo Etym. M. p. 669, 8. σημαίνει δὲ τὸν εὔστοχον ἐν τῷ λέγειν, παρὰ τὸν ἧσω μέλλοντα; ἡσίπεπον, apud Hesychium, quod sit εὐτραφές; ἡσίχειρ, quod idem interpretatur δαψιλής; Ἡσίοδος, de quo in Etym. M. p. 438. una falsa explicatio posita est, ὁ τὴν αἰσίαν ὁδὸν πορευόμενος, altera vera, παρὰ τὸν ἧσω μέλλοντα. Ex his facile intelligitur Ἡσιόνην ab ὄνη dictam esse, quae usitatiore forma ὄνησις est. Et profecto num quod aptius dari nomen potuit vel Promethei coniugi, artium omnium repertoris, vel Atlantis, perseverantiae praemia laturi, vel filiae Laomedontis, patriae servandae caussa monstro marino expositae? Sed redeo in viam. Unum recte adhibitum est dictum Mercurii v. 944. ut ad praegressam tragoediam referendum:

τοιοῖςδε μέντοι καὶ πρὶν αὐθαδίσμασιν
ἐς τάςδε σαυτὸν πημονὰς καθώρμισας.

Attamen eo nihil aliud proficimus, quam ut in illa quoque tragoedia superbius et ferocius locutum esse Prometheum cognoscamus, relinquitur autem, in quo maxime haesitatum est, quo modo clam surreptus ignis argumentum praebere potuerit dignum tragoedia. Non puto difficile esse ad hanc quaestionem respondere. Mirum est enim, quod quantum sciam non est animadversum, ipsum Prometheum gravissimis verbis extulisse facinus, ad quod magna opus fuerit audacia, quodque maxime in caussa fuerit, ut rupi affixus excruciaretur, v. 228.

ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
καθέζετ᾽, εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα
ἄλλοισιν ἄλλα, καὶ διεστοιχίζετο
ἀρχήν· βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὐδέν᾽, ἀλλ᾽ ἀϊστώσας γένος
τὸ πᾶν, ἔχρῃζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον.
καὶ τοῖσιν οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ.
ἐγὼ δ᾽ ἐτόλμησ᾽· ἐξερυσάμην βροτοὺς
τοῦ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν
τῷ τοι τοιαῖςδε πημοναῖσι κάμπτομαι,
πάσχειν μὲν ἀλγειναῖσιν, οἰκτραῖσιν δ᾽ ἰδεῖν·
θνητοὺς δ᾽ ἐν οἴκτῳ προθέμενος, τούτου τυχεῖν
οὐκ ἠξιώθην αὐτός, ἀλλὰ νηλεῶς
ὧδ᾽ ἐρρύθμισμαι Ζηνὶ δυςκλεὴς θέα.

Quod si ex his recte videor coniicere, illam de perdendo aut servando genere humano controversiam in ignifero Prometheo agitatam esse, non solum

argumentum habemus convenientissimum tragoediae, sed apparet etiam omnes tres tragoedias hoc uno vinculo contineri atque ad hanc unam rem conspirare, ut virtus Promethei et de genere humano merita splendido ornentur praeconio. Hoc, si Aeschylum novi, dignum eius ingenio fuit consilium.

Convertimur nunc ad id, quod nobis scribendi opportunitatem fecit. Dicendum est enim et de iis Commilitonum nostrorum, qui hoc anno de praemio eruditionis certarunt, et de argumentis, quae ab Ordinibus in proximum annum ad concertationem sunt destinata. Ac S. R. Ordo Theologorum nullam accepit dissertationem, quae *exponeret et ad evangelii in N. T. propositi summum finem exigeret argumentum libri Luthero laudati, qui sub nomine Theologiae Germanicae scriptus exstat.* Illustri autem Ordini Ictorum una tradita est *de annuis legatis*, quam qui scripsit quum de illa re nec satis clare cogitasse et minus elaborate scripsisse iudicatus esset, non visus est praemio ornandus esse, sed tamen studio, quod ostendit, laudem meruisse. Gratioso Ordini Medicorum nulla est oblata responsio ad quaestionem, *quem fructum cepisset doctrina de inflammatione ex accuratiore sanguinis cognitione per chemiam et physiologiam comparata.* Pariter non inventi sunt, qui quum Amplissimi Philosophorum Ordinis prima classis *fontes indagari, ex quibus prodiissent quae apud Suidam leguntur ad historiam litterariam pertinentia*, tertia autem *vitam muraenae anguillae plene describi et quomodo genus propaget investigari* iussisset, de his rebus aliquid conscriberent: secundae autem classi prolixa tradita est dissertatio quae inquireret, *quas mutationes fundamenta et formulae logices et per se spectatae et ad psychologiam et metaphysicam relatae inde a Petri Rami aetate usque ad Imm. Kantium subiissent.* Hanc qui confecit studiosissime quidem et diligentissime singulorum philosophorum placita ex ipsis eorum scriptis excerpsit atque exposuit, suamque de iis sententiam dixit, sed tamen quo modo logicae doctrinae mutationes cum totius philosophiae progressibus cohaererent ex iisque consequerentur, non explicavit: quod ille si fecisset, haud pauca multo brevius dicere poterat. Quoniam vero valde laudanda est diligentissima opera, quam illi quaestioni impendit, non solum honorifica mentione est dignus iudicatus, sed decretum etiam petere, ut ei pro gratificatione dimidiatum prae-

mium detur. Aperta tessera inventus est Hermannus Kern, Iutreboccensis, philos. D. Regii Seminarii philologici sodalis, mathematum et philosophiae cultor.

In proximum annum haec proposita sunt argumenta.

Ab S. R. Ordine Theologorum:

Refutetur Spinozae dictum (tractat. theol. polit. c. 14. Opp. ed. Ienens. Tom. I. p. 344): *fidem non tam requirere vera quam pia dogmata h. e. talia, quae animum ad obedientiam movent.*

Ab Illustri Ordine Ictorum:

Error, qui condictioni indebiti locum facit, qualis esse debeat.

A Gratioso Ordine Medicorum:

Sputorum in morbis pulmonum singulisque eorum stadiis conditio microscopicis, chemicis, et pathologicis observationibus illustranda.

Ab Amplissimi Philosophorum Ordinis classe prima:

Quum plerorumque metaphysices a Spinoza propositae interpretatio nuper in dubium vocata sit (cf. C. Thomas, Spinoza als Metaphysiker vom Standpuncte der historischen Kritik. Königsberg 1840), *indagetur quid argumenta contra communem de illo systemate sententiam prolata valeant et quid de eius vero sensu statuendum sit.*

A classe secunda:

Gotth. Ephr. Lessingii ingenium et artes, eiusque de litteris, praecipue de vernaculis, merita exponantur.

A classe tertia:

Franciscus a Schooten in peculiari additamento ad commentarios suos in Cartesii Geometriam, ut pateat, non facile problema aliquod datum iri, quod hanc Geometriam effugiat, subiungit in eius specimen solutionem problematis gnomonici his verbis expressi:

Tempore verno erectis alicubi terrarum ad perpendiculum tribus baculis in plano horizontali in punctis A, B et C, quorum is qui in A sit 6 pedum, qui in B 18 pedum, et qui in C 8 pedum, exsistente linea AB 33 pedum: contingit quodam die extremitatem umbrae baculi A transire

per puncta B et C, baculi autem B per puncta A et C, et baculi C per punctum A, unde fit, ut etiam per punctum B sit transitura. Quaeritur iam quo terrae loco atque anni die haec evenerint?

Loco solutionis perquam prolixae, quam Schootenius de hoc problemate protulit, alia desideratur solutio, statui, quem geometria nunc occupat, conveniens.

Habetis, carissimi Commilitones, materiam, in qua studia vestra exerceatis: quod qui vestrum ita fecerint, ut et diligenter litteris operam dedisse, et iudicium probe exercuisse, et cogitata dilucide eleganterque eloqui didicisse inveniantur, laudem et quae victoribus proposita sunt praemia poterunt consequi. Eos igitur, qui his argumentis pertractandis de victoria contendere voluerint, rogatos volumus ut ante calendas Septembres scripta sua ad Decanos perferenda curent una cum schedulis dicto eodem quo scripta insignitis, in quibus nomina insint certantium.

P. P. pridie Cal. Novembres a. MDCCCXLV.